



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Qvæstio XIII. In Tit. XIII. De Restitutione Spoliatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](#)

causam *unā sententiā* debere terminari; intelligitur enim *unā continuā*, nimirum durante eodem judicio, in eodem scripto, &c. sic tamen, ut textus expressè tradit, ut *prius* legatur sententia super possessorio; & in continentि post hanc de petitorio. V. textus in n. 1170.

**1177.** Dubitari tamen potest, quid pronuntiatio super possessione proſit, si statim sequatur sententia super proprietate? ut, si spoliato adjudicetur possessio, à qua dejectus fuit; Reo autem proprietas? Resp. si pro Actor pronuntietur in possessorio, non obſtante, quod pro Reo pronuntietur in petitorio, & conſequenter amittat possessionem Actor, nihilominus Actor prodeſſe ſententiam in possessorio latam, videlicet ad recipiendos fructus rei poffeffæ, à spoliatore pendente lite spoliationis perceptos; hi enim debentur poffessori spoliato, quam diu permanſit poffessor bona fidei, ut conſtat ex dict. à n. 1054. non tantum ante litem confeſtam, ſed etiam poſt, uſquè dum res evicta ſit; ut diximus loco cit.

**1178.** Not. 4. quando ſuperius n. 1171. diximus, ab eodem non poſſe cumulari in eodem judicio *retinenda* poffessorium, & petitorium, quod ſic agens eſſet ſibi contrarius (nam qui agit interdicto *uti poſſedit* dicit ſe poſſidere, & ſolū petit Ad-

versario interdicti, ne in ſua poſſeſſione ab ipſo inquietetur; qui verò agit rei vindicatione, ſeu petitorio, dicit Adversarium, non autem ſe poſſidere) debere intelligi ſubseqꝝ. limitationibus. 1. ut non procedat in caſu, quo putans Adversarium poſſidere, ignoravit, ſe poſſidere, ut ſi aliud ipſius loco, ipſo ignorantie, rei poſſeſſionem accepit; nam tali caſu, intentando petitorium, non censetur voluisse renuntiare poffessorio.

Secundò, ſi agens petitorio, & poſſeſſorio retinendæ poſſeſſionis civilis amittit poſſeſſionem ſolū naturalem, nam ea petitione non contrariatur alteri, qua petit non turbari in poſſeſſione civili, quam habet; nec negat ſe poſſidere *civiliter*; ſed iantum *naturaliter*. Tertiò, ſi quis conſtitutus in quaſi poſſeſſione alicujus juris, v. g. *eligendi*, & in hoc ab altero moleſtatus, judicio petitorio ſimul agat, ut vel ius ſuum ſibi conſirmetur; vel nullum Turbatori competere declaretur, conſequenter ab ejus impetione deinceps removeatur; in hoc enim caſu judicio poſſeſſorio *retinendæ* conjungitur petitorium juris ſibi conſirmandi, vel actione negotiorum alteri non competere declarandi,

de quo eſt caſus in c. Super 4.

*b. i. &c.*

\* \* \*

## QVÆSTIO XIII.

### IN TIT. XIII. DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

**1180.** Postquam præcedente titulo actum est de remedii poſſeſſoriis, potiſſima parte ſolū in genere, hoc titulo ſpecialiter agitur de poſſeſſione recuperanda, quando quis per vim ab ea dejectus, & spoliatus eſt; quaꝝ materia propriè ſpectat ad interdictum *unde vi*, poſſeſſionis recuperandæ. Quoniam verò quid propriè ſit hoc interdictum? cui competit? & contra quem concedatur? jam exposuimus à n. 1130. de illis ſolū hic ageamus, quaꝝ hujus loci peculiaria. De illo quoquā ſuri remedio, quo ſuccurritur spoliatis, ex c. Redintegranda, & ex c. Sepe,

quod eſt contra ſingularem ſuccelforem Spoliatoris; egimus in præcedentibus à n. 1148. & 1151. his præmifis:

### ARTICULUS I.

*Qua ratione spoliatus restituendus ſit?*

**A** Nte resolutionem notandum; non tantum tunc agi poſſe interdicto *unde vi*, quando quis abſolute spoliatus eſt poſſeſſione, ſed etiam, quando impedi-  
tur,

etur, ne liberè possideat, ut habetur in c. Pisaniis 19. h. t. ubi Pisani, qui Lucanis eripuerunt quædam castra, ex quibus Episcopus Lucanus censum annum percipiebat, jubentur restituere illa castra, licet Pisani Episcopum dictis censibus non spoliarint; causam reddit Pontifex: quia illis, nempè Pisaniis, detinentibus castra & munitiones castrorum, in quibus dictas pensiones recipis, & affectus, ea plenè, ac liberè habere non posse, sicut habebas, quando ipsi castra eadem minime detinebant, eo quod quādiū ea detinent, in eorum potestate relinquuntur, te non admittere, vel repellere, quando velint.

1182. Ex hac decisione sequitur, etiam tertio licere agere interdicto unde vi contra spoliatorem Titii v. g. licet ille nullius rei spoliationem passus sit, si ex spoliatione facta Titio, illi tertio impediatur libertas; seu liber usus juris, quod habebat in re Titio per spolium ablata, ut, si tertius in aliquo castro Titii habuit constitutum sibi censum, quem, postquam Titius eo castro spoliatus est, non quidem negat spoliator; non tamen tam liberè, ac ante, dum res esset apud Titium, obtinere potest; sic enim illius tertii etiam interest, Titium spoliatum esse; cum ex hoc ipsius Tertii conditio durior effecta sit; non enim licet tibi aliquid facere eā magis intentione, ut alteri obsis, quām ut tibi pro sis; veruntamen ut vetera castella restaurentur, & in pristinum, quem habebant olim statum reducantur, facilius conceditur; arg. c. consoluit. 7. de Judæis, quia aliud est, servare, quod factum est; aliud de novo facere, lectundū gloss. ibid. V. exalent.

1183. Ex eadem decisione habetur, delegatum, cui causa restitutionis integrè facienda in materia spoliationis commissa est, nec debere, nec posse relaxare penam spoliatoris, antequam spoliatus integrè sit restitutus, nimirum, antequam res, & omnia sint iterum in eo statu, in quo erant ante spoliationem; & ideo sententia delegati per Pontificem irrita fuit declarata, quia Pisanios absolvit, antequam castra essent deposita in eum statum, in quo Episcopus æquè liberè, ac ante, dum essent penes Lucanos, censum annum recipie-

bat; quia nondum erant Lucanis reddita, sed tehebantur à Pisaniis, quantumvis Episcopo non negantibus ex iisdem censum; sed cum periculo, ne aliquando Episcopum rejicerent; id, quod non erat, dum essent apud Lucanos; his positis:

## Q. I.

Quam vim habeat petitio restitutionis contra Spoliatorem?

**R** Esp. hanc petitionem, ubi spoliatio vel notoria est, vel legitimè probata, esse sic privilegiata, ut, antequam Actor restitutus sit, Spoliator non audiatur, nec Actor ei ad illa, quæ opponit, teneatur quicquam respondere; consequenter spoliatum tali casu ante omnia esse restitendum, exceptis tamen certis casibus, de quibus dicemus à n. 1188. probatur responsio data. 1. ex c. fin. de ord. cognit. ibi: super spoliationē convenitus adversus restitutionem petentiem non est (nisi super questione spoliationis si eum reconveniat) audiendus. Cum restitutionis petitio in hoc privilegiata noscatur, ut ipsam intentans non cogatur, ante restitutionem, spoliatoribus respondere. Quanquam ab agendo (spoliationē ab eis in modum exceptionis propositā) repellatur. Deinde ex c. Licei, i. h. t. ubi, cum apud Gregorium IX. Philasius Cæcilius conquestus esset, campum suum ab Officialibus, seu famulis Ecclesiæ irrationabiliter occupatum esse, Pontifex Episcopo Constantiensi rescripsit: si ita est, quanquam ante omnem contentionem possessio, ei debuerat violenter ablata, restitu: tamen quia Eventus Diaconus ipsius Ecclesiæ, consentiente illo, constituit, se legitimè probaturum dictum campum ejusdem Ecclesiæ juris esse, inquire veritatem: & si hoc probatum fuerit, huic dicendum est, ut à sua intentione discedat: alioquin res ei ablata redatur. Idem diecit L. unica C. si de momentanea possessione fuerit appellatum, ibi: cum de possessione, & ejus momento causa dicitur: et si appellatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortitur effatum; ita tamen possessionis reformatio-

nem fieri oportet, ut *integra omnis proprietatis causa servetur.*

1185.

Ex his juribus deducitur i. petitionem agentis possessorio *unde vi*, esse *privilegiatam*, ut exposuimus *num. preced.* consequenter, ante restitutionem à spoliatore factam, et si opponat proprietatem, vel quamvis aliam exceptionem (exceptis, ut dixi, certis casibus) nec spoliatorem esse audiendum; nec Actorem illi quicquam respondere cogendum, nisi prius restitutus sit; quo sit, spoliatori condemnato ad restitutionem, nec *appellationem* esse concedendam; nec admittendum etiam solum per interlocutoriam, ad probationes contra petitionem Actoris proferendas; secus facta restitutione. Inutiliter enim adduceret suas oppositiones; ex his enim quid concludet *Judex*, si Actor non respondeat? nec enim legali suo privilegio, quo eximitur ab onere respondendi, a *Judice* privari potest, ante factam restitutionem, saltem momentaneam.

1186.

Dixi, agentis possessorio *unde vi*; nam agenti possessorio *adipiscenda*, vel *retinenda* (ubi Reus opponit proprietatem, in continentia probandam) hoc *privilegium concessum non est*; ex illa vero *L. unica*, specialiter habetur, per *appellationem* in possessorio condemnati (si concederetur) non suspendi executionem sententiae, à qua fuit appellatum, esto talis *appellatio* concedi non debeat, etiam tunc, quando Reus in possessorio *adipiscenda* condemnatus est; cùm, si velit agere *petitorio* contra Victorem in eo possessorio, id ei *integrum maneat*; ac *executio sententiae* condemnatoria porrigatur ad possessionem solum momentaneam, si condemnatus vincat in *petitorio*.

1187.

Quæ ad usquæ dicta sunt, confirmari possunt ex c. *In literis 5. h. t.* nam, cùm Episcopus Brixiensis quæsivisset ab *Alexandro III.* de qua quæstione agi debeat, quando quis dicit, se de possessione violenter ejectum: & *Adversarius* dicit, eum non fuisse *Canonice institutum*? respondit Pontifex: prius de violenta *ejectione*, quæ de canonica institutione agi debere; quia *Praedo etiam est secundum rigorem juris restituendus*. Nam ex hac resolutione sequitur, beneficii spoliationem propONENTI, & ejus *restitutionem* petenti, non nocere, licet ei opponatur *defectus cano-*

nicæ institutionis; cùm quæstio spoliationis præcedere debeat quæstionem proprietatis, exceptis certis casibus, de quibus à n. 1188. quod maximè confirmatur ex illis verbis: quia *prædo etiam secundum juris rigorem est restituendus*, de quo casu agimus superius. Nec obstat, causam possessionis, & proprietatis simul debere terminari; nam qualiter hoc intelligendum veniat? diximus à numer. 1176.

## §. II.

*In quibus casibus spoliatus non restituatur?*

**P**ræcedente §. diximus, agentem possessorio *unde vi*, contra spoliatorem, habere petitionem *privilegiatam* à lege, vi cuius, antequam à spoliatore restitutus sit, nec audiendum sit spoliator, licet contra petitionem Actoris, seu spoliati aliquid opponat; nec spoliatus cogendus ei respondere in *petitorio*, nisi in certis casibus exceptis. Inter istos est. i. si quis Conjugum alterum vindicet in maritum in *judicio*; nam si tali casu Reus opponat exceptionem consanguinitatis, prius de hac exceptione audiri debet Reus, quædam fiat *restitutio*, ut habetur c. i. de ordine cognit. de quo jam egimus à n. 875.

Alter est, si agenti possessorio *unde vi*, à *Reo* per exceptionem opponatur proprietas, seu *Dominium*; & Actor consentiat, ut ante *restitutionem* cognoscatur de exceptione Rei, & hic ad ejus *probationem* admittatur, etiam ante factam *restitutionem*; ut habetur c. *Licet 1. h. t.* de quo actum est supra, n. 1184. Tertius casus est, quando ex ipsis actis notorium est, spoliato nullum jus competere; sed spoliatori, tunc enim restituendus non est, nec *privilegiatam* habet petitionem, quod tamen intellige, *saltem de jure canonico*, si etiam jus spoliatoris notorium sit; non autem secus; cùm etiam *Prædo restituendus sit per c. in literis*, de quo numer. 1187.

Quartus casus est, si ex *restitutione* verratur periculum animæ; tunc enim fieri

hieri non debet, antequam cognoscatur de oppositione contraria, ut habetur c. Literis. 13. b. t. ubi, cum Pontifici proposita fuisset haec quæstio, an Viro petenti restitutionem Uxorū, quæ ab eo sua quidem temeritate, divertit, sed exceptionem consanguinitatis objectit in gradu, in quo Sedes Apostolica dispensare non potest, vel non consuevit, & paratas obtulit probationes, restitutio concedenda sit, antequam

**Rea in judicio audiatur?** ad hanc quæstionem Innocentius III. ita respondit: *tirca solutionem propositæ questionis diversas esse sententias diverorum;* & postea relatis istorum opinionibus (nullam tamē improbans) resolvit, *ubi periculum est securi peccati, restitutio faceta quoad thorum, non faciendam quoad thorum;* faciendam ramen in ceteris, v. g. quoad cohabitationem; & recepto juramento malitia super impedimento dirimente, quod opponitur, cognoscendum, prout fuisus de hoc agemus in seqq.

1191.

Quintus est, si facta restitutio spoliationis (est spoliator legitimè probaret eam sibi debitam) sequeretur irreparabile damnum, vel magna perturbatio in populo, publicum scandalum, &c. Rationem dat Pirhing h. 1. n. 28. quia in his, & similibus casibus, posito, quod spoliator probet, sibi Dominium rei competere, modicum præjudicium spoliato infertur, dum ei possessio momentanea aufertur, seu, quamdiu retinere non posset; siquidem mox in judicio petitorio succumbet, eamquæ iterum amittet. Hæc ratio rectè procedit, ubi spoliatus non est etiam benefundatus in petitorio; hinc, ubi de proprietate Actori competente constaret, & is solùm ageret ad restitutionem possessionis, qua vi dejectus est, non videtur locus huic exceptioni, nisi mala, quæ facta restitutio præstandæ sententiæ sequentur, talia sint, quæ intuitu boni communis meritò præferri debeant privato commendo spoliati.

1192.

Sextus est, si quis, postquam rem in dubitate, ac notoriè suam autoritate propriè occupavit ex eo capite, quod illa vià juris obtainere non valuerit, vel ob potentiam Adversarii nullum Judicem, seu Superiorum recognoscens, aut admittentis, vel ob defectum Judicis aut nolentis, aut

non valentis ei justitiam administrare. Nam licet alias nemo, in causa propria, jus sibi dicere possit, etiam in defectu Iudicis, ordine judicario prætermisso; hoc tamen non procedit in isto casu, cum hic cœllet ratio hujus prohibitionis; ordo enim juris servari non potest, ut ponit casus; & daminum, quod subiret, restitutio fieret irreparabile; sic D. Thomas 2. 2. q. 66. a. 3. ad 3.

Septimus est, si agenti possessorio unde 1193. vi Reus vicissim opponat spoliationem ab ipso commissam, ut dicitur c. cum dilectus 2. & c. Super spoliatione 4. de ordine cognitione. de quibus jam egimus à n. 884. & 893. Octavus est, si spoliatus impedimento canonico, vel pacto de non petenda restitutio, vel facta transactione, vel spontanea cessione impediatur. Alii casus excepti poterunt colligi ex dicendis ita seqq.

### §. III.

*An, & qualiter petitio restitutionis privilegiata sit in causis spiritualibus?*

**P**rima quæstio est de causis beneficiali 1194. bus; an spoliatus agens ad restituendam, ante omnia restituendus sit, juxta dicta à n. 184. pro quo non aliud esse, quod quis sine canonica institutione beneficium obtineat quoad proprietatem; aliud, quoad possessionem; primum omnino verum est; at secundum negatur. Hinc enim est, quod quis beneficium bona fide pacifice possidens per triennium, sine alio titulo, viâ præscriptionis illud acquirat, ut tradit Sanchez l. 7. in decal. c. 29. à n. 89. Lessius L. 2. de just. c. 6. n. 35. & alii; quo posito:

Resp. agentem, in causa beneficiali possessorio unde vi, ante omnia restituendum esse, non obstante, quod illi proprietatem, vel defectum canonicae institutionis Retis opponat, prout deducitur ex c. in literis 5. b. t. de quo V. dicta n. 187. hoc tamen limitant aliqui, ut non procedat, quando notoriè constaret de defectu proprietatis; sic Menoch, remed. t. recuperand. n. 233. Masicard.

*Mascard. de probat. conclus. 326.* unde etiam juxta Manticam decis. 356. num. 8. apud Barbos. in dictum c. 5. n. 4. spoliatus in beneficialibus non potest restituui, si apparet de notorio non jure agentis *spolio*; & (juxta Pirhing h. t. n. 41.) si contra eum magna sit presumptio, quod sine titulo, aut cum vitioso titulo Ecclesiasticum beneficium obtinuerit, priusquam titulum institutionis sux justificet. Sed hoc videtur contrarium decisioni in c. literis, relato n. 1187. ubi non obstante objectione, de defectu canonicae institutionis, de possessione beneficii ejactus, restituendus est; accedit, etiam *Prædonis* petitio nem in possessorio undi vi juxta opinionem juri conformiorem esse privilegiam, ut ostendimus à n. 1137.

**n. 1196.** Dices: c. in literis 5. h. t. non dicitur *restituendus*, qui agit ad restitutionem beneficii, à quo ejactus est; sed solum, *prius de violentia ejactione, quam de canonica institutione* (Actori objecto ejus defectu) agi debere; ex his enim verbis solum sequitur, cognitionem possessionis priorem esse cognitionem proprietatis; sed in executione prævalere proprietatem; ergo eti si prius agi debeat de violentia ejactione, quam defectu canonicae institutionis, vel proprietatis; non debet tamen prius fieri restitutio, saltem vi dicti c. in literis. Resp. ex arguimento, quo à fortiori in dict. c. procedit Pontifex, satis colligi, quod non velit solum, *prius cognosci de violentia ejactione*; sed etiam executionem in restitutione; rationem reddit Pontifex ibidem: quia *Prædo etiam est secundum rigorem juris restituendus*; ergo à fortiori de beneficio violentè dejectus, licet ei opponatur defectus canonicae institutionis. Per hoc tamen (facienda videlicet momentanea restitutionis) non negatur restitutum statim conveniri posse super defectu canonicae institutionis, vel nullitate, aut vitio tituli; & convictum justè ex ui etiam possessione beneficii; nec enim plus exigunt rationes in contrarium. Nec obstat, quod, cum causa possessionis, & proprietatis in eodem judicio cumulantur, proprietas in executione prævaleat possessioni, ut diximus n. 1170. nam hoc non habet locum in casu, quo agitur possessorio unde vi, seu recuperanda; sed tantum adipiscenda, si possit in continentia

probari proprietas, prout expōsuimus n. 1175.

Dices 2. licet Canonici S. Nicolai egrent ad restitutionem decimarum, quibus spoliati sunt à Parocho, in cuius Parochia illas possederant; non tamen erant prius restituti, quam evidenter docuerint, se possessionem juris decimarum legitimè assūtos esse; ratio redditur propter presumptionem, quod jus earum non justè acquisiverint, cum proveniant ex prediis intra alienam Parochiam sitis; & manifestum sit eas de jure ad Ecclesiam Parochalem, intra cuius fines prædia sunt, pertinere, ut habetur in c. Ad decimas 2. h. t. in 6. ergo ubi contra agentem possessorio unde vi est magna presumptionis, iustè, vel non legitimè acquisitæ possessionis, non est restituendus. Resp. ex dicto c. solum deduci, tunc non fieri restitutionem, quando Actori opponitur defectus possessionis non legitimè acquisitæ, non ex qualicunque presumptione iustæ, seu non legitimæ acquisitionis; sed ex presumptione juris resistentis spoliato, & assistentis spoliatori; prout in casu præsenti nam jus decimarum ex illis prædiis stabat hic pro Parocho, in cuius Parochia illa erant sita, consequenter contra illos, qui hoc jus prætendebant in aliena Parochia; prius igitur oportebat, hanc juris Actoribus resistentis presumptionem elidere, quam restituerentur; quod non est in qualicunque alia oppositione defectus alicujus, ut constat ex dicto c. in literis. 5. h. t. cum in dubio spoliatus melioris conditionis esse debeat in ordine ad possessionem recuperandam; sic Abbas in dict. c. 5. numer. 24.

Ex hac responsione sequitur, agentem possessorio ad restitutionem beneficii, quo Actor spoliatus est, à restitutione sibi decernenda non impediri qualicunque oppositione Adversarii v. g. de defectu proprietatis, seu canonicae institutionis; sed solum in casu, quo per objectionem impugnatur legitima acquisitionis possessionis, non ex qualicunque fundamento; sed ex presumptione juris resistentis Actori, & assistentis spoliatori, ut ostensum est in præcedenti casu ex c. ad decimas 2. h. t. in 6. Neque huic illationi contrariatur c. Licet Episcopus 28. de præbend. in 6. ut volunt aliqui, dicentes, in illo decidi, eum, qui

qui post beneficium curatum recipit aliud consimile (consequenter incompatibile) & adeptâ hujus pacificâ possessione per Episcopum spoliatur primo, statim restituendum esse, etiam non probato titulo, vel dispensatione, tametsi in eo casu jus resistat spoliato, & assistat spolianti; non, inquam, contrariatur; quia in textu nihil horum dicitur; verba illius sunt: *beneficium, quod cum animarum cura tenebas* (postquam aliud recepisti consimile, ac ipsius possessionem pacificam habuisti, vel per te fecisti, quo minus haberet eandem) possit alteri de jure conferre: *illum tamen, cui contulerit, non debebit, te non vocato* (cum tibi forsitan jus possit competere retinendi) in possessionem ipsius inducere corporalem. Ex hoc enim liquet, in isto c. ad decimas, non agi de non restituendo, sed de non spoliando; in c. 2. autem agi de non restituendo; in quo nulla est contraria.

1199. Ceterum quæstio 2. est, an, si Episcopus nihilominus factio spoliaret in eo casu takem Clericum non auditum, & alterum in possessionem mitteret; spoliatus autem contra Episcopum spoliantem ageret (uti potest, arg. c. Conquerente 7. b. t.) interdicto nade vi, esset restituendus? videtur dicendum negativè; ex n. 1197. nisi prius justificaret titulum simultaneæ possessionis duorum beneficiorum incompatibilium; nam in hoc jus (reprobans retentionem duorum vel plurium beneficiorum incompatibilium) resisteret Actori, & assisteret Episcopo spolianti; ita sentire videtur Pithing. b. t. num. 45.

1200. Dicendum tamen oppositum, videlicet, si Episcopus takem Clericum nec auditum, nec vocatum possessione primi beneficii curati, tametsi jure vacantis per pacificam possessionem alterius similiter curati, spoliat, & alteri possessionem conferat, Clericum ante omnia restituendum; & tunc primum ab illo exigendam justificationem tituli suæ possessionis; nam licet spoliato resistat jus commune ad retinendum jure utrumquè, & assistat Episcopo in ordine ad hoc, ut illud conferre possit alteri; nihilominus quoad retinendam possessionem facti assit spoliato, ut non

Tom. II.

auditus, seu non servato juris ordine, spoliari non debeat, & in ordine ad hoc restitut spolianti; nec scilicet detur occasio illicitè spoliandi possessorem contra expressam constitutionem in dicto c. Licer; & ita tener Navartius, & alii apud Pithing. cit. §. *Alii vero*; nemini enim possessio sua auferenda est, & transferenda in alium, nisi ipso possessore prius vocato, & discusso jure ipsius possidentis: alioquin ante omnia restituendus erit, & spoliato adversus spoliantem competet interdictum, unde vi, arg. c. conquerente, 7. b. t. ubi injustè spoliatus à Judice restituitur per interdictum, unde vi, quod conceditur contra Judicem spoliantem, sicut contra quemcunq; priuatum.

Nec obstat 2. c. Constitutus. 8. de filiis Presbyt. ubi filius Presbyteri, à militi spoliatus Capellâ, in qua Pater ejus intitulatus immediate ante serviverat, non fuit restitutus ante omnia, sed prius cogebatur justificare titulum suæ institutionis; quia jus commune (ne filius etiam legitimus immediate in eodem beneficio succedat Patri) resistebat spoliato, licet non assisteret militi; non, inquam, obstat responsioni datae n. 1194. nimirum, etiam in causis beneficialibus, injustè spoliatum, esse ante omnia restituendum; hoc enim statuitur solum pro casu, quo spoliatus agit solo judicio possessorio unde vi; talis porro non est casus c. 8. nam ibi filius Presbyteri non agebat solo possessorio; sed etiam petitorio, ultraquæ causâ in judicium deductâ; unde nimis non est, quod prius, quam restitueretur, debuerit justificare titulum suæ institutionis, quâ institutus adipiscitur proprietatem, seu *jus in beneficio*, & eo justificato obtinet in petitorio.

Et quamvis verum sit, quod, ubi Clericus, absque cause cognitione, legitimate removetur à beneficio (puta si manifestum sit, ipsum immediate in illo successisse Patri suo, qui immediate prius in eo intitulatus ministraverat, ut constat ex c. Quoniam 10. de filiis presbyt.) sic remotus non sit restituendus ante justificationem tituli suæ possessionis; salva tamen stat dicta responsio in n. 1194. nam

Pp ea so-

ea solum procedit in casu spoliationis, seu remotionis à beneficio, *non legitima*: at in casu c. 10. talis Clericus legitimè removetur jure communī hoc expressè statuente, ibi: *nolumus enim ut causa iudicium deducatur, vel testes etiam admittantur, si hoc manifestum existat.*

1203.

Et ex hoc ulterius deducitur, agenti *unde vi*, non concedi restitutionem ante omnia, quando jus commune manifestè resistit possessioni, qua quis se vi dejectum conqueritur; sed prius justificandum esse ab illo titulum legitimè possessionis; quo fit Laicum petentem restitui in possessionem v. g. decimatum Clericalium, vel alterius juris spiritualis non restitui ante omnia, sed debere prius justificare titulum suæ possessionis; quia jus commune resistit Laicis quoad possessionem jurium spiritualium; in his enim probatio possessionis semper involvit titulum, nimirum concessionem à Prælato Ecclesiastico legitimè factam (cùm aliás sine hoc capaces jurium spiritualium non sint Laici) ergo sicut nemo spoliatus, non probata prius possessione; sic nec Laicus possessione juris spiritualis, non probato prius titulo, restituitur; nam iste, non probato titulo, non potest probare possessionem, cùm ei (seclusa Ecclesiæ concessione) resistat jus commune; c. *cattam. 7. de prescript.*

1204.

*An privilegiata petitioni restitutionis obstat renuntiatio spoliati?*

1204.

**I**N hac quæstione duo attendenda sunt; 1. primò, quo tempore facta sit renuntiatio? 2. an sponte, vel per vim, aut metum? quo posito duplex capitulum habetur in hoc titulo ad præsentem quæstionem; primum est c. *Solicite* 2. ubi Alexander III. ad Episcopum Vigoriensem scribens, solicite, inquit, cures perquirere, quo tempore H. renuntiavit Ecclesiæ: & *si tibi constiterit, eum spoliatum, cùm eidem Ecclesiæ renuntiavit:* contra eum testes alterius partis, de juramento, & renuntiacione sponte facta (antequam restitutus fuerit) non admittas: quia non est verisimile, quod

*sponte* juri suo renuntiaverit, qui renuntiat spoliatus. Sed testes ejusdem H. quibus intendit se probare, quod violenter prædicta Ecclesiæ fuerit spoliatus (dummodo idonei sint) recipere non postponas: alterum est c. *Accepta*, 3. ubi idem Pontifex, proposita quæstione cuiusdam Clerici (conquerentis se violenter Ecclesiæ spoliatum) delegatis Judicibus mandavit, ut, si hoc constaret, Ecclesiæ ei facerent restitui; sed cùm à Spoliatore opponeretur, id non debere proficere, eo quod sponte voluntate coram Eboracensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, præscriptam Ecclesiæ abjurasset: mandavit, quatenus, si constiterit, quod præfatus Clericus non metu, vel vi coactus, sed sponte prælibatam Ecclesiæ taliter abjuraverit: ei super hoc perpetuum silentium imponant.

Pro resolut. notand. 1. quando quis actualiter renuntiat beneficio, abdicando statim à se possessionem, eum hoc ipso non amplius possidere (possessio enim recedit, ut quisque constituit *nolle possidere*) consequenter, post talē renuntiationem, vi dejecto, non competere interdictum *unde vi*; nam ex dict. n. habetur, ut quis ex interdicto recuperande agere possit, necesse est, quod tempore spoliationis possederit; quod in præsenti non contingit. Not. 2. renuntiationem beneficii posse fieri vel in manibus ejus, qui potest illam admittere; vel in manibus ejus, qui non potest eam legitimè admittere. Not. 3. renuntiationem beneficii post spoliationem factam in manibus legitimè admissoris, non præsumi factam non sponte, sed ob metum, ut constat ex textu c. *Solicite*, de quo n. 1204: quibus positis?

Resp. si quis post beneficii renuntiationem, etiam abdicat à se possessione, spoliatus est, seu vi ejectus, eum non posse agere ad restitutionem; ratio sumitur ex n. 1205. si autem spoliatione præcessit, & renuntiatio in manibus legitimè Superioris secuta est, spoliatum non restitui; quia tametsi c. *Solicite* dicat restituendum, qui post spoliationem renuntiavit, non intelligitur tamen, si renuntiatio secuta est in manu legitimè Superioris, quia

quia tali casu renuntiatio non præsumitur vi, vel metu facta ex præced. num. consequenter locus est c. *accepta* (de quo n. 1204.) ubi dicitur, quando spoliatus renuntiavit non coactus, sed sponte, non esse restituendum; sed ipsi perpetuum silentium imponendum; dixi, si renuntiatio facta est in manu legitimi Superioris; secus enim est, si in manu ejus, qui renuntiationem non potuit admittere; quia tunc ante omnia restituendus est. 1. ex c. *Solicite*; quia præsumitur renuntiatio coactus vi, vel metu; nec agenti interdicto unde vi obstat oppositionem talis renuntiationis metu extortæ, ut constat ex n. 1204.

1207. Not. autem, quando dicitur, eum, qui vel ante, vel post spoliationem renuntiavit beneficio, non restitui contra spoliatorem, debere intelligi, si coram legitimo Superiori cessit non tantum titulo, sed etiam possessioni; nam si post ejusmodi renuntiationem adhuc longo tempore retinuerit possessionem saltem facti, & ab ea vi dejectus foret, restituendus foret, ut recte nota Layman in c. *Accepta* 3. b. t. n. 1. quia tunc defectus tituli non foret notorius ita, ut prævaleret præsumptioni, quod debeat aliquid juris adhuc habere, non permittendus alias à Superiori in tanti temporis possessione.

Not. 2. resignantem beneficium, in manu non legitimi Superioris, non perdere absolute titulum, seu jus in beneficio; sed solum cum conditione, ac dependencia ab admissione renuntiationis à legitimo Superiori facta; nam secus renuntiatio est nulla, ut diximus l. 1. tit. 9. de Renuntiat. Not. 3. per hoc, quod quis etiam sponte renuntiet beneficio quoad titulum, seu proprietatem; non censeri etiam renuntiasse actioni spoliis, seu juri, contra non legitimum spoliatorem agendi ex interdicto unde vi ad possessionis restitutio- nem; cum jus proprietatis, & possessionis subjecto separari possint.

1208. Circa questionem initio propositam extat etiam aliis casus in c. *Audita* 4. b. t. Cum enim Henricus Clericus, Titium pariter Clericum, super Ecclesia Pelensi indebit molestatissim, Pontifex mandavit Delegatis, ut, si constaret, Henricum habere aliam Ecclesiam, vel Ecclesiæ Pelensi cum juramento renuntiassse, ac promisssse,

*Tom. II.*

se in posterum Titio super ea Ecclesia controversiam non motuim, ei silentium imponeretur; & cum de utroque Delegatis constitisset, Henrico prohibuerunt, ne Titium de cætero molestaret. Intervenit Henricus, per Nuntium suum propoenens, se ipsum Ecclesiæ Pelensi per violentiam spoliatum esse, alias literas impetravit, quibus cavebatur, ne procedatur secundum priores literas à Titio impetratas; sed probata violentia, quod justum est, decernerent, non obstantibus prioribus literis, ex parte Titii imperatratis: immo, si quidpiam ex eo tempore, quo Nuntius Romanum versus iter artipuit, circa causæ statum immutatum fuit, id non obstantibus primis literis rescindane.

Verum, cum hæ secundæ literæ advenirent, Judices securi priorum literarum formam, utrumquè cognoverunt, & quod Henricus personatum alterum possideret, & quod Ecclesiæ juratus renuntiasset, ideoquæ ei prohibuere, ne deinceps molestiam inferret: cum hoc Pontifex intellexisset, tertio rescribens declaravit, quod non ita intellexerit, neque intelligi debuerit, quasi rescindi oportet, quæ auctoritate primi rescripti legitimè acta essent; sed, si quæ per præsumptionem, aut violentiam, quarè mandavit, ut si sententia ab illis lata sit, priusquam alterum rescriptum acceperunt, eam firmam manere, & si contra eam quidpiam statutum sit, id sublata appellatione revocari debeat; sin autem post alteras literas papales, sententia ab ipsis lata fuerit, eā non obstante, secundum tenorem ejusdem secundi rescripti appellatione remotâ procedant.

Ex hoc textu apparet 1. contra molestantem, in causa beneficiali, agi posse interdicto uti posseditis, & Actorem, probata possessione, atque injusta turbatione, adversus molestantem, ante omnia restitui, sic, ut non modò illi confirmetur possessio; sed etiam alter jubeatur desistere à molestando illum in ejusmodi possessione, quod tamen intellige de turbatione extrajudiciali; non judicialis, quæ fit, si unus alteri item moveat coram Judice super aliquo jure. Ex hac autem distinctione notandum venit; cum possessor beneficii apud Papam conqueritur, quod ab Adversario injustè molestetur, & petit, possessionem sibi quietam effici, atque declarari, adver-

1209.

Pp 2

fatio

sario nullum jus competere, opus esse, quod exponatur, molestationem esse *extra judicialis*; nam *judicialis* licita est.

**1210.** Secundò, tametsi petitio restitutionis propter spoliationem *privilegiata* sit, ut diximus n. 1184, ex c. fin. de ord. cognit. consequenter ante omnia restituendus sit spoliatus: hoc tamen limitari, ut non procedat, si spoliator *Actori*, seu spoliato vi-cissim opponat exceptionem spoliationis, ut habetur in eod. c. fin. relato supra num. 1184. Nam in dicto casu c. *audita*, ut primum Henricus contra actionem spoliati opposuit exceptionem spoliationis, ut notatum est n. 1208. Pontifex mandatum, quo spoliatum restitui jussit, revocavit, & pro Henrico decerni voluit, quod justum est, non obstantibus prioribus literis in favorem spoliati datis.

**1211.** Si dicas: hoc secundum mandatum, in favorem spoliatoris, etiam à spoliato spoliati fuisse infructuosum; ergo limitationi non est locus; Resp. per accidens fuisse infructuosum quoad restitutionem Henrico faciendam propterea, quòd mandatum, seu secundæ literæ pro Henrico venerint ad Delegatos, postquam executioni dederunt primas in favorem Titii, nam quoad hunc calum declaravit Pontifex, sententiam ex primo rescripto latam, in his, quæ conformiter rescripto judicarunt, debere tenere; cum non fuerit suæ mentis per secundas derogare, vel jubere, quod rescindi oporteret, quæ auctoritate primi rescripti legitimè prius acta essent, quam secundum acceperint, ut constat ex num. 1209. per hoc tamen Henrico non negatur in petitorio convenire Titium super proprietate beneficii, quo se violenter spoliatum proponebat.

**1212.** Tertiò, spoliantem, qui agit contra Adversarium, à quo se injustè turbari in possessione sui beneficii conqueritur, & petit actione negatoria declarari, nullum ipsi jus esse, debere probare turbationem *injustam*, seu nullo justo titulo nixam; id, quod colligitur ex dicto c. *audita*; ut constat ex n. 1208. ubi Titius ostendit, se in possessione beneficii, seu Ecclesiæ Pelensis molestari, & quidem *injustè*, id exhibuit. 1. quòd Henricus haberet aliud beneficium curatum cum personatu; consequenter nullum jus in Pelensi, jure sta-

tuente nulli competere jus duplicitis beneficii curati; 2. quòd juramento promiserit Titio, nullam se illi controversiam motum super Ecclesia Pelensi; hoc enim ostendo Titius obtinuit rescriptum in favorem suum, de quo n. 1208.

### §. V.

*An petitioni restitutionis obstat exceptio spoliationis?*

**A** Ffirmandum esse constat ex c. fin. de ord. cognitionis, relato à nobis n. 1184. ubi etiam diximus, quòd exceptio spoliationis à Reo *Actori*, agenti *unde vi* opposita, prius discuti debeat, quam de causa principali agatur; cum sit dilatoria, c. *Exhibita* 19. de *Judic.* ubi Judices delegati, quòd super causa principali, & exceptionibus simul cognoverint, dicuntur non servasse ordinem judiciarium. Quia tamen hâc viâ, ut per oppositam à Reo exceptionem spoliationis suspenderetur cognitio super principali, dum super exceptione cognitum esset, contingebat frequenter, quòd Reus conventus actionem declinaret per exceptionem spoliatoris, & ita causæ, ac judicia Ecclesiastica impedirentur (quia dum exceptioni insititur, & quandòque appellatio interponitur, causæ principalis cognitio suspenditur, & interdum ejus prosecutio omnino intermititur, & ita (licet non de jure, tamen de facto) perimitur) Innocentius IV. publico bono succurrere, & litibus finem imponere, atque calumniandi occasionses amputare volens, decrevit seqq. ut habetur in c. *Frequens* 1. b. t. in 6.

Primò, si in causa civili Reus spoliationem objiciat, non ab *Actori*, sed ab alio factam, ut eâ nihil obstante, in principali Judex procedat: Sin autem Reus in civili judicio ab *Actori*, vel in criminali à quacunquè persona se spoliatum afferat; quindecim dierum dilatio concedatur ad probandam spoliationem; si non probabit, actori in expensas, à Judice taxandas, condemnatur, etiam aliter, si Judici videbitur, puniendus.

Secundò in §. *Soleat*, ut, si accusatus ob-  
jicit

jiciat spoliationem à tertia persona factam, Judex temporis terminum præfigat, intra quem res suas in judicio repeatat; quod si intra hoc tempus litem Adversario non moverit, aut causam ad finem non perduxerit (dummodo per ipsum steterit, quo minus restitueretur, non obstante spoliatione, accusatori suo respondere coagatur).

Tertio in §. *Ad hoc*, ut agenti in causa Ecclesiastica, non obstat exceptio spoliationis rei privatae; sed nec vice versa, in causa rei privatae obstat debeat exceptio spoliationis rei Ecclesiasticae.

1216. Ex hoc Innocentii decreto deducitur. 1. quod exceptio spoliationis Actori spoliato per Reum opposita, regulariter sit *dilatoria*, ex illis verbis textus: *causas Ecclesiasticas impedit, & perturbat, &c.* consequenter ante litis contestationem ordinariè proponi debeat, ut diximus supra. Deducitur 2. quod exceptio spoliationis Actori in civilibus opposita non differat cognitionem causæ principalis, si Reus non ab Actore, sed ab alio spoliationem, quam opponit, passus sit; constat ex textu, ibi: *in civilibus negotiis spoliationis objectu (que ab alio, quam ab Actore facta proponitur) Judex in principali procedere non postponat.*

1217. Deducitur 3. spoliationis exceptionem, à Reo Actori oppositam, in causis criminalibus, admitti, & prius super illa, quam super causa principali, cognoscendum, licet ab alio, quam ab Actore illam passus sit, modo spoliatione sit de tanta substantia, vel majori ejus parte; ratio primi est, ex n. 1214. ratio secundi sumitur ex cit c. *frequens*, ibi: illum autem spoliatum intelligi volumus in hoc casu (cum criminaliter accusatur) qui tota suâ substantiâ, vel majori parte ipsius se per violentiam destitutum affirmat; &, secundum hoc locum Canones, sano credendum est intellectu: quia nec nudi contendere, nec interimes inimicis opponere nos debemus: habet enim spoliatus privilegium, ut non possit exiū iam nudatus.

Deducitur 4. hoc beneficium exceptio-  
nis (quam opponit accusatus criminaliter)  
non extendendum esse, ultra casum  
expressum *accusationis criminalis*; cum  
sit exorbitans à jure communi, & ordina-  
tio; unde si quis agat de criminis solum

civiliter, exceptio spoliationis à Reo Actori opposita non habet, ut differat cognitionem causæ principalis; quia textus hoc beneficium tribuit soli exceptioni spoliationis, contra accusantem in numer.

1214.

Deducitur 5. accusato in criminalibus, & opponenti contra accusantem exceptionem, debere certum tempus assignari à Judice, intra quod res suas ab accusante in judicio repeatat; nam si intra illud tempus Adversario litem non moverit, aut causam ad finem non perduxerit, non obstante exceptione, Adversario suo in principali causa respondere debet, modo per ipsum steterit, quo minus restituere tur; constat ex 2. Solet, in n. 1215.

Deducitur 6. exceptionem spoliationis factæ ab Actore, oppositam isti à Reo, prius esse cognoscendam, quam causam principalem, prout dicitur in c. *fin. de ord. cognit.* Ratio sumitur ex eo, quia quoad hunc casum nihil immutatum est in dict. c. *frequens*; sed potius idem constitutum est, ibi: *sed si in civilibus ab Actore, in criminalibus autem se spoliatum Reus asserat: à quocunque infra quindecim die- rum spatium (post diem, in quo proponitur) quod asserit, probabit; ubi textus clare ponit discrimen de objecto spolio, facto ab Actore, in civilibus, & à quocun- que in criminalibus.*


Deducitur 7. inter causam, super qua Reus convenitur; & inter exceptionem spoliationis, quæ Actori à Reo opponitur, debere aliquam esse paritatem; nam agenti ad restitutionem *in causa rei Ecclesiasticae* non nocet exceptio spoliationis rei privatae; nec agenti ad restitutionem rei privatae, exceptio spoliationis in causa rei Ecclesiasticae, ut constat ex 2. *Ad hoc, in num. 1215.* ratio hujus decisionis reddi potest, quia res Ecclesiæ publici juris censentur, arg. L. 1. 2. *hujus studii, ff. de justit. L. fin. C. de sacros. Eccles.* constat autem, quod de publico ad privatum non admittatur compensatio, ex L. 1. & 3. C. *de compensat.* igitur similiter exceptio de publico ad privatum, ac per consequens de re Ecclesiastica ad temporalem, vel econtra rejicenda est juxta textum cit. 9. *Ad hoc*, quam rationem assignat gloss. in prælenti, ibi: *sunt publici juris.*

Quæstio autem est, quid hoc loco ve- 1220.  
niat  
Pp 3

niat sub nomine causæ contingentis *rem Ecclesiasticam*; quid sub appellatione, seu nomine causæ contingentis *rem privatam*? Resp. videri probabilius, per causam rei Ecclesiasticæ intelligi hic eam, quæ concernit propriæ spiritualia, ut est causa matrimonialis, Sacramentorum administratio, & ipsa bona Ecclesiastica; quæ quidem in se temporalia sunt, sed ad Ecclesiam, vel locum pium pertinent, quæ autem ad Laicos, vel etiam ad Clericos, tanquam personas privatas pertinent (sic enim sunt bona quidem *Ecclesiasticorum*, sed non *Ecclesiastica*) venire nomine causæ concernentis *rem privatam*; ita etiam Layman in dict. c. *Frequens*. §. ad hoc n. 5.

**1221.** Deducitur 8. Mulierem agentem ex interdicto *unde vi* ad restitutionem Mariti, ex causa matrimonii *contracti*, non impediri, licet Vir ei opponat exceptionem spoliationis rei temporalis v. g. quod mulier ei abstulerit tantum pecunia, vel alia in bonis fortunæ damna intulerit; nam exceptionem spoliationis *rei private* non suspendit actionem, seu petitionem restitutionis in causa *rei Ecclesiastice*, per n. 1219. sed petitio restitutionis Mariti ex causa matrimonii *contracti* est causa rei Ecclesiasticæ; spolatio rei merè temporalis est causa rei privatæ per num. 1220. ergo.

**1222.** Deducitur 9. Parochum agentem contra Parochianum ad restitutionem mutui v. g. non posse repellere à Parochiano per exceptionem negatorum sibi Sacramentorum à Parocco; & vicissim; quia in his casibus inter causam conventionis, & exceptionis nulla paritas est; & habetur in dicto §. *Ad hoc*, de quo n. 1215. Aliud foret, si Parocco petenti decimas, Parochianus opponeret exceptionem negatorum Sacramentorum; nam in hoc casu jam inter causam conventionis, & exceptionis foret aliqua proportio; cum utrinque agatur de jure spirituali.



## c. VI.

An agenti contra spoliatorem opponi possit exceptio criminis?

**O** Ppositione nimis efficaci, seu inducente effectum, quo vel differatur cognitio causæ principalis; vel etiam perimitur intentio Actoris: de hoc agitur in c. *item*, cùm quis 6. b. t. Cùm enim Titius apud Judicem de Caio questus esset, quod possessionem suam clām ingressus esset, & reducem ab ea violenter exclusisset, quæsumit fuit ab Alexandro III. an Caius opponens Titio exceptionem criminis, istum ab actione repellat? respondit Pontifex: non occurrit quidem nobis, quod illius objectio admitti debeat, vel principalis causa propter hoc executio retardari: quoniam criminaliter adversus eum, ante restitutionem, agere non potest; cùm presumatur eus existere inimicus.

Pro explicat. not. 1. non tantum censi-  
ri spoliatorem, qui *vi* de possessione aliquem dejicit; sed etiam, quando ad breve tempus digressi fundum clām subingreditur, & revertentem *vi* excludit; sic Gonzalez in dict. c. 6. n. 2. hinc à pari procedit *clandestinus*, & *violentus possessor*, ita, ut contra utrumque pariter, & eodem modo interdictum, *Unde vi*, competat; ita Doctores magis communiter post Bartol. in *L. si coloni*, per text. ibi c. de agricolis, & censitis, lib. 11. Not. 2. et si aliqui existiment, Caium spoliatorem, & simul excipientem de crimine contra Titium spoliatum, & Actoris, in textu *inimicum* Titii appellari, quia cum illo litem habet; hoc tamen non videtur procedere, si de una tantum re lis oriatur; quamvis ex lite, quæ super statu, aut de omnibus bonis, majorivè eorum parte trahatur, inimicitiae orientur, & à jure presumantur, *L. propter litem*, ff. de excus. tut. c. si *Episcopus* 3. q. 2. c. 2. ut lite non contestata, sed nec ideo rectè dicitur *inimicus*, ut aliqui volunt, quia, qui post vim factam alteri simul crimen objicit, ut ejus actionem repellat, *calumniator*, seu potius *tergiversator* censemtur, consequenter *inimicus*; nam hoc fallit, cùm objicitur in

in judicio crimen verè admissum: rectius dicitur ex eo *inimicum* in textu vocari, quia, cùm quis vel per vim alienam possessionem ingreditur, aut etiam clām occupatam vi retinet, merito inimicus præsumitur; sic Rebuffus de reprobatione, n. 239. quod adeò verum est, ut inimicitia capitalis oriatur ex lite super omnibus bonis, aut illorum majori parte; quibus positis:

**1225.** Ex dict. c. 6. deducitur, quod, cùm agenti *unde vi*, vel *quod vi*, aut *clām* non obstat, licet à spoliatore illi opponatur exceptione criminis; consequenter non obstante illâ criminis exceptione spoliatum gaudere petitione privilegiata, & ante omnia esse restituendum, nisi objiciatur excommunicatio; in quo casu suspenditur judicium possessorum, dum absolvatur; gloss. in c. 3. de Procurat. V. alind canonicon; sic enim est inhabilis ad agendum; vel crimen tale sit, ratione cuius est inhabilis ad possidendum, v. g. quod sit infidelis, non baptizatus, &c. aut hereticus, vel crimen lœsa Majestatis, &c. Ceterum, si crimen non sit tale, propter quod quis ipso jure est inhabilis, seu privatus non modo proprietate, sed etiam possessione, sed solum privandus per sententiam, locus non erit exceptioni criminis, & spoliatus ante omnia restituendus foret vi cit. c. 6. Censent autem aliqui, locum etiam esse exceptioni criminis, unde constet notiorius defectus proprietatis; sed de hoc V. dicta superius.

**1226.** Ad extrellum not. quosdam distingue re varios casus, quibus ex interdicto possessorio agi potest contra spoliatorem, vel injustum possessorem; hinc in casu, quo Domino ad breve tempus digresso à fundo, alias eum cibinavit, & reducem vi excludit, dicunt Domino competere interdictum *unde vi*, vel *clām*; si autem solo metu spoliatoris non ausus recuperare possessionem, destitut, & sic etiam civilem possessionem amisit; interdictum *unde vi*: si demum omissâ recuperatione per reciprocam spoliatoris ejectionem statim ad Judicem rem detulit, cùm sic retineat adhuc possessionem civilem; interdictum *uti possidetis* ita Layman. in cit. c. 6. n. 4. qui etiam n. 5. observat, causam judicij possessorii dici posse principalem, non re-

latè ad petitiorum; sed solum ad alias incidentes quæstiones, ac exceptio-nes.

## ARTICULUS II.

## De restitutione spoliati in causis matrimonialibus.

**1227.** **I**stæ actiones sunt frequentes inter Con- juges, cùm vel unus ab altero suâ se authoritate separet quoad cohabitationem, & thorum; vel unus alterum expellit; id què propter diversas causas, ut constabit ex seqq. Prima igitur quæstio est, an, si Uxor à Viro recessit authoritate propriâ, Viro autem eam in judicio repetenti mulier opponat exceptionem matrimonii nulliter *contracti*, non obstante hac exce-ptione Viro restituenda sit, & qualiter? an plenè? nimirum quoad cohabitationem, & usum corporis, seu *tectum*, & *letum*? an tantum quoad tectum? suspensa interim cognitione super causa exceptionis?

In hoc casu ad innocentium III. recurrit Archidiaconus Bituricensis, & quid in hoc sit agendum? edoceri voluit. Ponit autem casus de objecto impedimento dirimente, in quo Sedes Apostolica dispensare non potest; vel non consuevit; & probationes impedimenti paratæ sunt, ad eas in judicio in continentis præstandas. Pontifex, ante datum à se responsum, dixit (ut habetur in c. Literas 13. b. t.) in hac quæstione diversas esse opiniones diversorum.

**1228.** Horum opiniones enumerat ipse Pon- tifax: nam aliqui, inquit, volunt restitu- tionem conjugis prius faciendam, quam de valore matrimonii cognoscatur, moti authoritate Lucii III. c. in *conquestione*, b. t. alii autem negant, faciendam restitu- tionem, propter responsum Clement. III. in c. 1. de *ord. cognit.* alii denique disinguunt, si objiciatur gradus consanguinitatis *divinâ lege* obstans matrimonio, ita ut Papa dispensare non possit, tum restituionem Conjugis negandam esse; sed concedendam, si gradus lege tantum Ec- cleſi-

clæsiasticâ dirimat matrimonium; his re-laris, Pontifex, nihil penitus præjudicare volens opinionibus his, id tantum admo-net, c. i. de ord. cognition. &c. Ex conque-stione, contraria non esse; quia in illo a-gebatur judicio tantum petitioris, in alte-ro autem, possessorio, recuperande.

Sub hoc ipse, mentem suam aperiens respondit: *sex una parte petitias restitu-tio Conjugis propriâ authoritate rece-dentis, ex altera verò opponatur consan-guinitas, præsertim indispensabilis, & probationes afferantur in continenti paratae, tum restitutionem Conjugis facien-dam esse ad cohabitationem, & officia con-jugalia, exacto prius Juramento, quod restitutio malitiosè non petatur; at vēto quoad thorū, seu debiti redditionem, differti debere restitutionem ob pericu-lum incestūs, præsertim si fama impedi-mentum coadjuvet: quod, si probationes statim afferrè non possint, sed dilatio lon-gior petatur, cum hoc casu præsumptio sit contra eam, quæ sine judicio Ecclesiæ à viro recessit, ad plenam restitutionem compelli debere, etiam per excommunica-tionem, quam mulier, si impedimenti con-scia sit, humiliiter sustinere cogitur, & debiti redditionem negare, donec cognito errore, à censura absolvatur; quod si autem viri sævitia objiciatur, viden-dum esse, num sufficiente cauicione pericu-lum amoveri queat? & tum, eā ex-a-clā, restitutionem fieri debere; sin verò trepidanti mulieri non possit sufficienter provideri, tum non tantum Marito resti-tui non debere, sed etiam ab ipso amo-veri.*

Ex hac resolutione Pontificia deduci-tur 1. in casu, quo unus conjugum spon-te recessit ab altero; & relictus agit in ju-dicio, ad restitutionem, ex causa matri-monii contracti, huic autem alter objicit nullitatem propter impedimentum diri-mens, quo stante contractum fuit; di-stinguendum esse, an pars, quæ opponit exceptionem impedimenti, habeat para-tas probationes? an secus? censemur au-tem habere paratas probationes, si non longa dilatio petatur, sed consideratâ qualitate causæ intra paucos dies probatio sufficiens promittatur, arg. L. Ratum 13. ff. de solutionib. ubi dicitur, tō quampri-

mūm cum spatio quodam temporis acci-piendum esse, secundum viri prudentis intellectum; & docet Panormit. hic n. 6. Secundò, an matrimonium inter eos fuerit consummatum, antequam alter se separaverit? an non? quo pos-to?

Resp. 1. in dato casu, quo fit exceptio 1229 impedimenti (v. g. consanguinitatis) præsertim in gradibus jure divino prohibitis, & probationes offeruntur in conti-nenti paratae, non debere fieri restitutione plenam, nimitem quoad teatum & lectum seu cohabitationem, & copulam; sed tan-tum, quoad cohabitationem, seu teatum, idquè propter periculum peccati, ne con-juges, qui forte tales in re non sunt, com-misceantur carnaliter, saltem uno con-scio de nullitate matrimonii propter im-pedimentum dirimens in exceptione op-positum. Quare restitutio quoad tho-rum suspendi deberet, dum finiatur cognitione causæ super exceptione; V. numer. 1231.

Resp. 2. in casu, quo probationes non 1230 sunt in continenti paratae, partem, quæ sua sponte sine judicio Ecclesiæ recessit à suo conjuge, non obstante exceptione im-pedimenti dirimenti, quod in continen-ti probare non potest, sed eget altiore in-dagine, & longiori dilatione (quia præ-sumitur contra eam, quæ sine judicio Ec-clesiæ, suâ tantum temeritatē recessit à Viro) ad restitutionem plenariam (tecti, & lecti) Ecclesiasticâ debere censurâ com-pelli; ita clarè texiusd. Literas 13. b. t. ex sententia Innocentii III. quam ipse ab-solutè tenet; licet reliquas, de quibus n. 1227. non reproberet, ut ipse fatetur in evd. c. 13. ibi: *Nos autem in præsens nul-lam de predictis sententiis reprobamus: nec cuiquam earum aliquod prejudicium ex nostra responsione volumus gene-rari.*

Not. autem 1. quod, cum n. 1229. di-cimus, restitutionem non debere fieri quoad thorū, seu lectum; sed tantum quoad teatum, & cohabitationem, quando opponetis exceptionem impedimenti offert in continenti probationes paratas, id accipiendum cum hac limitatione, ut ea restitutio non fiat, nisi juramento ab ex-cipiente recepto, quod talis objectio, seu exce-

exceptio malitiosè non fiat; ita textus in  
c. Literas.

<sup>1232.</sup> Not. 2. ubi facienda est plena restitutio  
in casu proposito juxta n. 1230. dupli-  
cem esse cautelam servandam, ut, si Vi-  
ri, cui Uxor esset restituenda in dato ca-  
su, tanta esset sævitia, ut mulieri trepi-  
danti non possit sufficiens securitas pro-  
videri, non solum non debeat illi resti-  
tui, sed ab eo potius amoveri; alioquin  
sufficienti, si fieri potest, securitate pro-  
visâ, profectò videtur conjux ante cau-  
sa cognitionem restituenda Ma-  
rito.

<sup>1233.</sup> Secundò, si contingere, mulierem in  
dato casu plenè restitui Viro, idquè per  
sententiam, qua etiam sub censura cog-  
retur ad illius tecum, & lectum redi-  
re, ipsam (si revera sciret, inter ipsos es-  
se impedimentum diremēns, consequen-  
ter matrimonium esse nullum) debere  
quidem interim, humiliter sustinere cen-  
suram, donec probationes paratas offe-  
rat, & absolutione petitâ, secundum formam Ecclesiæ absolvatur: nihilomi-  
nus tenēri Viro, etiam suppositâ tali sen-  
tentia pœnali, thori consortium nega-  
re, videlicet, nec petendo, nec reddendo ei debitum; sic enim carnaliter co-  
pularetur Viro re ipsa non suo, quod pec-  
catum est, nec ab ullo Judice per sen-  
tentiam, quæ vim habeat obligandi na-  
turaliter, imponi potest; sic ipse Innocen-  
tius in diēt. c. Literas 13. 2. quod  
si b. t.

Dices: si revera sciret inter ipsos esse  
impedimentum dirimens; nam secus,  
ubi constat de matrimonio contracto, &  
solum dubitatur de valore propter latens  
aliquid impedimentum, pars per sen-  
tentiam Judicis plenè restituta alteri, à  
quo authoritate propriâ recessit, non pec-  
cabit, post restitucionem ad mandatum Ecclesiæ reddendo debitum conju-  
gale; quæ erat opinio tertiae sententiae  
ex allatis in c. Literas, quarum nullam  
reprobavit Pontifex, ut diximus numer.  
1230.

<sup>1234.</sup> Not. 3. licet verum sit in dato casu, ubi  
probationes de existente impedimento in  
continenti paratae non offeruntur, di-  
ci restitucionem interim plenam fieri  
debere; hoc tamen esse intelligendum,  
quando matrimonium inter eos prius fuit

Tom. II.

<sup>1235.</sup> consummatum, nam per hoc Vir acquisi-  
vit plenum jus; quamdiu enim matrimo-  
nium manet ratum tantum, Uxori libe-  
rum est Religionem amplecti, ac in ea  
profiteri; quo secuto matrimonium illud,  
esto foret jure validum, etiam quoad  
vinculum solveretur, ut diximus l. 4. a  
num. 1609.

2. I.

De tribus aliorum opinionibus hoc tex-  
tu relatis in praesenti casu.

<sup>1235.</sup> CUm superius ex ipso textu c. Literas  
13. b. t. retulerimus circa casum  
matrimoniale n. 1227. propositum, esse  
diversas aliorum opiniones, quæ contra-  
rium sentire videntur his, quæ à n. 1229.  
ex mente Innocentii III. dictas aliorum  
opiniones non reprobantis, statuimus,  
not. tres casus Innocentio fuisse propositos  
ab Episcopo Bituricensi, ut habetur in  
integra lectione hujus c. apud Gonzalez;  
primo quidem, utrum, quando aliquis  
consanguinitatis gradus objicitur, in quo  
Sedes Apostolica dispensare non potest,  
nec consuevit; & probationes promptæ  
sunt, & paratae, indulgenda sit restitu-  
tio, an neganda? Secundo an idem juris  
existat, si aliquis gradus dispensabilis,  
vel aliud impedimentum dispensabile  
allegetur, & probationes similiter sint  
praesentes, utrum restitutio concedi de-  
beat, an negari. Tertio, si Mariti cru-  
delitas, & sævitia nota sint Judici, ut  
propter natam controversiam indigna-  
tus, Uxorem torturus sit, & injuriis affe-  
cturus, & sic Accusatores de morte fe-  
minæ metuentes, accusare desistant, ut-  
rum hoc in primo, vel secundo casu re-  
stitutioni præbeat adminiculum denegan-  
da? his addita fuit altera quæstio, si de-  
neganda sit restitutio, in aliquo casuum  
præmislorum ad Sedem Apostolicam ap-  
pellaretur, utrum appellationi sit hujus-  
modi deferendum?

Ad has quæstiones respondit Innocen-  
tius (priusquam mentem suam super iis-  
dem aperiret) quid alii in hac materia  
sentiant? quibus afferentibus restitutio-  
hem  
Qq

nem in præmissis casibus faciendam, aliis sententibus in contrarium, nonnullis viam medianam eligentibus, ac dicentibus eam faciendam interdum, quandoquæ vero penitus denegandam. De primis ajebat, quod per Decretalem Epistolam bonæ memorie Lucii Papæ prædecessoris sui juvari videantur, arguentis quosdam Judices delegatos, qui restitutionem viri, qui sine iudicio Ecclesiæ Uxorem dimiserat, & ei consanguinitatem postmodum opponebat, spoliatæ, ac repetenti Conjugem, denegabant; & mandantis prius restitui taliter spoliatam, & postea de matrimoniali causa cognosci. Horum autem assertionem incestus videtur periculum oppugnare. Sed ipsi timorem incestus inanem respondent, cum etiam beneficio restitutionis obtento, qui consanguinitatis habet notitiam, nec exigere debitum, nec contra sententiam solvere teneatur; quoniam si secus egerit, ædificat ad gehennam: sicut nec consanguinitatis concius, super conjugio, cuius quæstio non moveretur. Secundam assertionem dicit fulciri per Oraculum felicis recordationis, Clementis Prædecessoris sui, à quo cum fuissest quæstum, utrum muliere quadam quendam in Virum petente, qui ut eam repelleret, exceptionem consanguinitatis objecit, prius esset de impedimento consanguinitatis agendum; quam super matrimonio sententia proferretur, sic inquisitioni factæ respondit: quod, cum exceptione probata principalis quæstio perimitur, prius est cognoscendum de ipsa, quam ad definitionis articulum procedatur; cum & in multis casibus restitutio differatur secundum canonicas Sanctiones. Opinionem demum ultimæ videri non incongrue adaptari, ut in gradibus consanguinitatis, divinâ legè prohibitis, restitutionis aditus præcludatur; sed constitutione interdictis humanâ restitutio locum habeat cum effectu; cum in illis dispensari non possit, sed in illis valeat dispensari, sicut beatus Gregorius, & multi alii dispensaverunt. Unde nō peccat, qui in articulo hoc ad mandatum Ecclesiæ reddit debitum conjugale; his præmissis:

**1237.** Quæstio est. 1. at conclusionibus supra traditis à n. 1229. ex c. Literas 13. h.t. obstat primorum opinio, quæ, ut dictum

est, procedit de judicio possessorio, & fundatur in decreto Lucii III. quod habetur in c. Ex conquestione 10. b. t. ubi, non obstante, quod mulieri Virum sibi restituti petenti, Vir, qui eam sine iudicio Ecclesiæ à se removerat, objiceret impedimentum consanguinitatis, Vir restitui debuit. Resp. quod in substantia non contrarietur capitulo Literas, & resolutionibus in n. 1229. deductis. Utrobius enim mulieri, agenti possessorio ad restitutionem Mariti, ex vi matrimonii contracti, datur restitutio, eo solùm discrimine, quod in c. Literas apponatur quædam modificatio restitutionis facienda, propter periculum peccati, quod utique caveri debet; nimis, ut restitutio fiat quoad tactum, seu cohabitationem tantum, si agens possessorio probationes paratas de impedimento existente offerat; si autem solùm post tempus aliquod, longioris himitum indaginis, fiat restitutio plena; quæ constitutis in c. Ex conquestione, non adversatur.

Quæstio altera est, de secunda aliorum opinioni, fundantium se in decreto Clementis III. quod habetur in c. 1. de ordinationum, à nobis relato superius à n. 875. Sed nequæ istud obstat conclusionibus deductis ex cit. c. Literas; nam ibi agebatur iudicio petitório; hic, possessorio; ibi mulier petebat sibi Virum adjudicari in Maritum; hic solùm restitui Maritum; unde ibi quæstio erat, an Vir, qui petebatur pro Marito, sit ejus Maritus? cum ipse id negaret, opposito impedimento dirimenter; hic autem non quærebatur, an sit Maritus, sed solùm, an ex vi contracti matrimonii restitui debeat mulieri quoad possessionem Conjugii? & quamvis in utroque casu opponeretur impedimentum, quo impetrabatur proprietas, seu valor matrimonii; quia tamen illa non agebat de spoliatione possessionis, sed tantum proprietate; & huic obstat immedietæ exceptio consanguinitatis (cum sit peremptoria, & directè ostendat nullitatem matrimonii) merito in dict. c. 1. decretum fuit, ut prius cognosceretur super impedimento, quam petitione mulieris; in c. 13. autem agebatur de spoliatione possessionis, cui non immedietæ obstat exceptio consanguinitatis, nam exceptio de defectu proprietatis non est peremptoria possessionis (pos-

(possessio enim stat sine proprietate) in hoc c. decretum fuit, ut prius fieret restitutio, quā cognoscatur super exceptione consanguinitatis; quā nullam involvunt contrarietatem, & ambo stare possunt.

**1239.** Quæstio est 3. de ultima aliorum opinioni relatâ n. 1236. an ista obstat deducatis conclusionibus ex c. Literas? Resp. cūm hæc ultimâ opinio negat faciendam restitutionem, quando exceptio est de impedimento juris divini, seu indispensabili, quod conceditur in c. Literas, præcasu, quo non sunt paratae probationes, ut notavimus num. 1230. omnino recedi quoad hoc ab illorum opinione; propter præsumptionem, quæ militat contra illum, qui sine judicio Ecclesiæ recessit ab altero conjuge. Et quoniam dicta opinio negat restitutionem in casu exceptionis de impedimento juris divini, propter periculum peccati, videtur etiam debuisse negare in casu exceptionis de impedimento juris humani; nam dispensatio indulta, nolente parte, quæ ad alterum redire non vult, non facit matrimonium validum, consequenter (cūm priorem consensum retractaverit) nisi noviter consentiat, etiam post mandatum Ecclesiæ, non redderet debitum conjugale; sed admitteret copulam fornicariam, quod illicitum est; standum igitur conclusioni datae n. 1230. ex mente Innocentii; ita etiam Sanchez lib. 10. matr. D. 12. post num. 20.

**1240.** Quæstio postrema est, an, cūm agente possessorio ad restitutionem possessionis matrimonialis subtractæ, spoliator condemnatus ad restitutionem, etiam ante cognitionem super exceptione impedimenti existentis inter ipsum, & spoliatum faciendam, appellat à sententia in possessorio contra se lata, ipsius appellationi sit deferendum? Resp. negativam esse juxta c. fin. de ord. cognit. quia, vi hujus, spoliati petitio privilegiata est adeò, ut ante restitutionem spoliator non sit audiendus; & spoliatus illi respondere non cogendus, nisi exceptio contineat spoliationem à spoliato in spoliatorem commissam; sed in dato casu Reus, seu spoliator condemnatus, opponendo exceptionem impedimenti, v. g. consanguinitatis, non opponit spoliato exceptio-

tionem spoliationis ab ipso commissam; ergo.

## S. II.

An Maritus, vel econtra, possit age-re ad restitutionem Uxor, redire no-tentis, postquam ab eo domo ejelta est?

**R** Esolutio penderet ab eo, an, si Maritus qui Uxorem domo expulit, facti pœnitens, eam recipere velit, sed illa redire nolit, censeatur tunc spoliatus? Idem casus est, si mulier, authoritate propria recessit à Viro, & postea facti pœnitens redire velit, sed à Viro non admittatur? Resp. quod omnino Vir in primo, & Uxor in secundo casu censeatur spoliata; consequenter & ille in primo ad restitutio-nem Uxor; & ista in secundo ad resti-tutionem Viri judicio possessorio agere possit; spoliatus enim dicitur, cui nega-tur id, cuius possessionem habuit, jure il-lam retinendi non extincto; sed Vir in primo; Uxor in secundo casu habuit pos-sessionem matrimonii quoad cohabitatio-nem, & thorum, jure Conjugii non extin-cto in dato casu; probatur, quia jus, quod ex vi contracti matrimonii Conjuges ha-bent, potrigitur ad cohabitationem recti, & lecti, quam quilibet eorum alteri præ-stare obligatus est; & nullo actu deperdi-tur, nisi ex causa fornicationis; ergo in ta-li casu uterque spoliatus est; & quilibet in sua causa agere poterit judicio possesso-rio ad alterius restitutionem. Quid au-tem in casu, quo spoliato à Conjuge con-vento super facta spoliatione opponere-tur impedimentum dirimens, dicendum sit? constat ex dictis; trahentur alteri judicium petitorum; & quid? si solum possessorum? à n. 875. & 1227.

Ex dict. coll. 1. si Vir Uxorem domo expellat, hanc censi spoliatam possesso-rio cohabitationis quoad rectum & lectum sibi debitæ à Viro, consequenter Uxori competere interdictum recuperande pos-sessionis contra Virum; 2. etiam Viro, si facti pœnitens, repeatat Uxorem, & hæc ad eum redire nolit, modò ei debite ca-veatur

Qq 2

veatur

veatur quoad indemnitatē à Viri sacerdotia, vel aliis periculis, quæ justè timeri possunt, ut alibi diximus.

**1243.** Collig. 2. si Uxor sponte, sine justa causa, & judicio Ecclēsī discessit à Viro, & hic eam recipere nolit; Virum non tenebit ad expensas in alimēta factas à muliere prius, quam à Viro recipi exigeret; securus, si post. Nam Vir non tenetur Uxori præstare alimenta, cū ei iustè negat debita connubii obsequia, qualiter contingit in eo recessu spontaneo; securus, ubi parata est ad ea legitimè subeunda; sic Layman in Summa, l. 4. tr. 10. p. 3. c. 7. a. n. 7.

**1244.** Collig. 3. quod Maritus mulierem, postquam ab illo autoritate propriā recessit, & redire recusat, propriā possit autoritate capere, ac in domum suam reducere, maximē, si difficile sit, habere copiam Judicis, modò nondum transiverit in alterius possessionem, quod fieret, si alteri jam adhæreret tanquam Viro suo, ex matrimonio quantum vis solo facto, non jure contracto; sic Abbas in c. Literas. 13. b. t. n. 29. arg. L. si Carolus II. C. de Agricol. L. ait Prætor. 10. Q. Si debitorum ff. quæ in fraudem Credit. juncta gloss. V. locum fore.

### §. III.

*An Vir possit ad restitutionem agere contra Mulierem, quæ adhuc impubes ei despōnsata, sub hoc facta nubilis, ab eo recessit?*

**1245.** **C**Asus iste propositus fuit Innocentio III. ab Episcopo Wulterano, ut habetur in c. ex parte 14. b. t. Cū enim Martham adhuc impuberem Patrius suus, Civis Senensis, filio, nondum Septennium aetatis habenti, despōnsasset, eamque in domum ejusdem traduci curāsset; ipsa vero, ubi ad annos nubiles pervenit; ratum habere noluisse, quod à Patruo actum erat; & ab Episcopo petiisset, alteri nubendi licentiam; Episcopus vero partes citasset, & ipsa Procuratorem misisset, per quem petebat possessionem, & alias res, viro dotis nomine datas, sibi restituí:

pars adversa restitutionem mulieris fieri sibi postulavit, asserens etiam, quod per Procuratorem agere non posset, sed personaliter in judicio stare deberet; super hoc Episcopus Innocentius III. consuluit, qui respondit: quia igitur non credimus ambigendum, quin ipsa mulier (quamvis minor esse dicatur) & causam possit matrimonii per procuratorem tractare, ac pars alia restitui nequaquam debeat, quæ nullo juris, seu possessionis est commodo defituta; cū per solam traductionem prædictam, quam non præcesserunt sponsalia, vel consensus legitimus, nec fuerit etiam subsecutus, nullum inter eos obligatorium vinculum sit contrarium; ut finis litibus imponatur, Fraternitati tuae per Apostolica Scripta mandamus, quatenus, si ita est, non obstantibus exceptionibus supradictis, partibus convocatis audias, quæ hinc inde duxerunt proponenda, & quod Canonicum fuerit, appellatione remotâ, decernas; sic enim habetur in integra lectione hujus c.

Ex hac decisione constat, ad quæstiōnem propositam respondendum negatiōnē; nam, ut quis agat ad restitutionem, ex interdicto unde vi, & consequatur restitutionem mulieris, à quia se spoliatum possessione conjugalis cohabitationis conqueritur, debet probari, vel constare de possessione prius habita; sed in dato casu id non contingit; primò enim possessio matrimonii probati non potuit, quia constabat nullum suisse matrimonium, utpote ab impubere contractum, nec, ubi advenit pubertas, ratificatum; 2. quia nec per traductionem obtineri potuit possessio matrimonii; quia nec sponsalia, nec legitimus consensus præcessit, aut subsecutus est; sine quibus nemo constituitur in possessione Conjugii; ubi autem non est spolatio possessionis, non datur interdictum recuperande; ergo.

Præter hæc ex tradita decisione deducitur. 1. Mulierem; puberem; in causa matrimoniali Conventam in judicio, posse respondere per Procuratorem, ut habetur in dict. c. ex parte, ibi: non credimus ambigendum, quin ipsa mulier (quamvis Minor) causam possit matrimonii per Procuratorem tractare, id, quod de quolibet pubere, quantumvis Minore, in causis spiritualibus ex c. fin. de Judic. in 6. ibi:

ibi: si annum quartumdecimum tue peregiisti atatis: in beneficialibus & aliis spiritualibus, necnon & dependentibus ab eisdem, ac si major 25. annis existeres: ad agendum, & defendendum, per te, vel per procuratorem, quem ad hoc constituerum decreveris, admitti debebis.

1248. Deducitur 2. quod Liberi hominis possessio acquiri non possit absque titulo, per quem jus in eum, ac personalis obligatio acquiratur, ut videlicet fiat servus, Coniux: Religiosus; ita tradit glossa hinc V. Commodo, & summittur ex L. Universas 30. ff. de acquirend. possess. ubi dicitur, quod locum Sacrum possidere non possumus, tametsi eum, ut privatum, teneamus, sicuti nec hominem liberum, & L. cum heredes 23. §. ult. ff. eod. se quis finxerit hominem liberum, eum non possidebit, consequenter non potest aliquis petere restitutionem hominis liberi; sed intentionem suam fundare debet in obligatione personali ex praecedente aliquo titulo, ut quia justo bello captus est, a me emptus, Matrimonii vinculo, aut Ordinis professione voluntaria adstrictus.

Q. IV.

An Viro restituenda sit Uxor, quae sponte sua recessit ab illo, sed agenti possessorio recuperande opponit Adulterium?

1249. **H**anc questionem proponit Sanchez. l. 10. Matr. D. 12. n. 10. nimurum, an quoad cohabitationem liceat conjugi innocentia propria auctoritate divertere ab adultero, ita, ut adulterio restitutionem minimè petere possit? Hac in re acrem difficultatem ingerunt c. Significasti, & c. Porro, de divorc. quae secum pugnate videntur. Nam c. Significasti, ibi: Si notorium est mulierem ipsam Adulterium commisisse, ad eam recipiendam prefatus Vir cogi non debet: at in c. Porro, ibi: Etiam parentela esset publica, & notoria, absque iudicio Ecclesiae ab ea separari non potuit. Nam ex isto habetur, non esse licitum divertere absque Ecclesiae sententia, ob notoriam consanguinitatem; ex illo autem habetur, esse licitum propter

notorium Adulterium posse dimitti conjugem Reum, absque spe restitutionis. Sed prætermis aliorum opinionibus. Resp. 1. in casu proposito, conjugem agentem possessorio recuperande ante omnia esse restituendum, non obstante exceptione commissi Adulterii per alterum, quando alterium oppositum non est notorium, sed occultum; ita Sanchez n. 14. Nam petitio restitutionis privilegiata est, ut ante restitutionem factam agens possessorio unde vi non teneatur respondere spoliatori, nec iste audiendus sit, ex c. fin. de ord. cognit. Constat præterea ex c. in literis 5. h. t. ubi dicitur, quod petens restitutionem beneficii, ante cognitionem de exceptione institutionis non canonice, audiendus sit, c. Licet 1. eod. quod ante restitutionem non sit audiendus Reus, licet opponat exceptionem proprietatis, c. Conquerente 7. eod. quod spoliatus etiam a Judice, juris ordine prætermisso, ante omnia restituatur, c. ex conquestione. 10. ubi Actore procedente petitorio, & Reo super eadem re deducente possessoriū, proceditur in solo possessorio, suspenso petitorio.

Difficultas est, an in hoc casu restitutio quoad omnia facienda sit? negant aliqui apud Sanchez cit. n. 15. limitantes restitutionem quoad thorum, & copularum, seu debitum conjugale; sed contrarium dicendum est; quia licet in c. Literas 13. h. t. ista limitatio procedat, quando agenti unde vi opponitur impedimentum consanguinitatis in gradu vel indisponsabili, vel non solito dispensari, & in contumienti offeruntur probationes paratae, ut diximus n. 1229. id tamen locum in praesenti non habet. Ibi enim propterea fit, quod objecto impedimentoum dirimenter sit dubium de nullitate matrimonii, & consequenter periculum peccati, si mulier restitueretur etiam quoad debitum conjugale: hoc autem periculum peccati in praesenti non est, cum ex neutra parte controvertatur valor matrimonii, sicut quando opponitur exceptio consanguinitatis, vel alterius impedimenti dirimenti; ergo.

Hæc porro conclusio, quod Conjunx petens restitutionem alterius quoad cohabitationem, & reliqua obsequia conjugalia, restituendus sit ante omnia, etiam si alter

Qq 3

alter illi opponat Adulterium, sed occulatum, procedit etiam in casu, quo Reus, seu oppositor Adulterii offert paratas probationes; sic Covar. 4. decret. 2. p. c. 7. q. 5. n. 12. & complures alii. Ratio est 1. ex c. Literas 13. b. t. ubi non obstantibus probationibus in continentis oblatis restituatur conjunx spoliatus quoad habitationem, & reliqua omnia, demptâ carnali copulâ, in qua sola subest periculum peccati; ergo cum in praesenti id periculum non sit, restituendus est omnino conjunx. Spoliator enim semper delinquit, donec restituat: & ideo nisi purget delictum, restituendo, non debet audiri circa proprietatem, c. Frequens, de restit. spoliat. in 6. praesertim, cum in spoliatis odium, hoc spoliati privilegium, inductum sit, ut statim restitutio fiat, ut tradit Menoch. de recuperand. possess. remed. 1. c. 1. n. 38.

1252.

Difficultas est, an idem procedat in dato casu, si ex restitutione facta in ordine ad carnale debitum, sequeretur alterius damnum irreparabile? puta si Vir, qui non obstante exceptione Adulterii ab Uxore commissi, adulteræ restitutus ad carnale debitum, fieret bigamus ea bigamiae specie, quam ante non contraxerat? Respondet Sanchez cit. etiam in hoc casu restitutionem esse differendam *quoad carnale commercium* (nam exinde sequeretur illud irreparabile damnum) *non quoad alia*; si probationes in continentis offerantur paratae, sicut diximus, restitutionem fieri *quoad alia*, sed non *quoad copulam*, quando agenti possessorio recuperandæ objicitur impedimentum dirimens, & offeruntur in continentis paratae probationes.

1253.

Hactenus diximus de casu, quo Conjugi agenti possessorio *recuperanda* ab altero objicitur Adulterium, non notorium; & diximus in tali casu per istam exceptionem non impediri restitutionem, etiam *quoad omnia*, excepto casu, quo ei, qui restituitur, ex restitutione etiam *quoad thori cohabitationem*, sequeretur irreparabile damnum, & probationes paratae offeruntur: quæstio nunc est, an saltem tunc impediatur restitutio, quando agenti *recuperanda* objicitur adulterium notorium? Resp. non impediri, nisi sit ita notorium, ut nulla prorsus ter-

givatione celare possit, nullusque inficiacioni sit locus; duo continet hæc responsio; primum est, impediri restitutionem suppositâ jam præmissâ notorieta; secundum, non impediri, ubi est defensus illius notorietas.

Ante probat. exemplis aliquot ostendunt Authores, quando Adulterium censatur ita *notorium*, ut nullâ tergiversatione celari possit, nullusque locus sit inficiacioni; primum est, quando conjunx publicè moratur cum adulterante; sic Innocent. in c. *Significasti*, de divort. 2. quando est notorium facti permanentis, ut si extant filii notoriæ ex adulterino congressu habitu. 3. quando conjunx est convictus per sententiam de Adulterio, vel si in judicio conjunx fassus sit sponte Adulterium; Gloss. Covarr. Major. Palud. Tabiena, Palac. Graffis, Lud. Lop. vel si conjunx rediens inveniat Uxorem prostitutam in lupanari; sic plures DD. apud Sanchez cit. n. 13. Videtur tamen nondum etiam per istos casus, seu exempla sufficienter probata *notorieta* Adulterii, in ordine ad vim divortii, & negandi restitutionem; hujus ratio videtur ex eo summi, quod requiratur tanta notorieta, ut adultero nullus sit locus tergiversationi, vel inficiacioni, hoc est justæ defensioni contra Adulterium objectum *quoad vim inducendi divortium*, & *negandi restitucionem*; at esto etiam partis adulteræ spontanea confessione constet de Adulterio à se commisso; potest tamen adultero esse locus justæ tergiversandi, ostendendo in casu commissi à se Adulterii non esse locum capitulo *Significasti*. 4. de divort. sumptâ probatione ex c. *discretionem* 6. de eo, qui cognovit, ubi c. *Significasti*, *quoad vim inducendi divortium* ex adulterio expresse limitatur, ibi *non tamē semper* (propter causam fornicationis) *vel Uxor Virum*, *vel Vir dimittere potest Uxorem*; de quo casu ex professio egimus lib. 4. à n. 2424. & seqq. his præmissis:

Ratio primæ partis in n. 1253. datæ responsionis est, quia, ubi plenè notorium est Adulterium, in quantum inducitivum divortii, conjunx innocens ipso jure notoriæ deobligatur à cohabitatione adulteri, consequenter cum notoria justitia

titia illi negat restitutionem cohabitatio-  
nis; unde Reus nullo gaudet titulo agen-  
di ad recuperandam ejus possessionem ti-  
tulo Spoliationis injustæ; ratio secundæ  
est; quia quamdiu Adulterium, ut indu-  
strium divortii, non est ita notorium, ut  
agenti ad restitutionem adimatur omnem  
tergiversationem, vel inficiationem, pe-  
nitentia ejus retinet privilegium jure commu-  
ni spoliatis concessum, ut spoliatus ante  
omnia restituatur; spoliator prius non au-  
diatur; & spoliatus huic respondere non  
cogatur per c. fin. de ord. cognit.

1256. Ex hoc etiam respondeatur ad c. *Signifi-  
casti, & c. porrò, de quibus supr. num.  
1249.* Nam, quando in c. *Significasti*  
dicitur, si notorium est, mulierem ipsam  
adulterium commisisse, ad eam recipi-  
endam Virum cogi non debere; intelli-  
gitur, si sit plenè notorium, prout expo-  
luitus num. 1254. notorieratem ad hunc  
effectum requisitam; & quando in c. *Porrò*  
dicitur, etiamsi parentela esset pu-  
blica, & notoria, absque judicio Eccle-  
siæ ab altero separari non potuisse, intel-  
ligitur, si non sit plenè notorium impedimen-  
tum parentelæ; quæ inter se non pü-  
gnant. Accedit, quod ea capitula agant  
de diversis casibus; illud nimis de di-  
vortio solùm *quoad rectum, & lectum,*  
manente tamen vinculo Conjugii; istud  
autem de divortio vinculi ipsius, etiam  
conjugalis; de quibus V. lib. 4. à numer.  
1516.

## §. V.

*An in causa matrimoniali agenti peti-  
torio, possit opponi possessoriū  
recuperanda?*

1257. **C**ausa iste habetur in c. *Ex conques-  
tione 10. h. t.* Caius miles Barbarum  
in Uxorem duxit, & filiam procreavit;  
postea eam sine Ecclesiæ judicio repulit,  
& literas à Papa impetravit ad Judices de-  
legatos, ut cognoscant, remota applica-  
tione, super impedimento Consanguinitatis;  
sed mulier, priusquam à judicibus  
citaretur, virum restitui sibi petiit ab Epi-  
scopo Ordinario, postea vero citata à de-

legatis, modò per se comparens, modò  
per Procuratorem, ante & post litis con-  
testationem, virum sibi restituì postula-  
vit, cùm autem Judices negatæ restitutio-  
ne (quod fieri non debebat) in causa prin-  
cipali procedere vellent, illa ad Sedem  
Apostolicam appellavit. His cognitis  
mandavit Lucius III. si ita est, ut mulieri  
vir restituatur, & quæ post appellationem  
acta sunt, in irritum revocentur, postea  
super matrimonii impedimento cognos-  
catur, ac definitur.

1258. Ex hoc casu habetur, quod tametsi u-  
nus Conjugum alterum à se repellat titulo  
impedimenti dirimentis, quo stante ma-  
trimonium nulliter contractum afferat;  
alterum tamen ab eo rejectum; si judicio  
possessorio recuperandæ perat ab Ordina-  
rio restitui, audiendam, dilato petitorio.  
Licet enim Caius in hoc casu, rejecta Ux-  
ore, propter latens impedimentum, con-  
sequenter nullitatem matrimonii, obti-  
nuerit rescriptum justitiae ad Judices dele-  
gatos, qui, etiam appellatione remota,  
cognoscerent super objecto impedimen-  
to; quia tamen Uxor petit contra factam  
spoliationem restitui, causa petendi legiti-  
timè probatæ; Lucius III. mandavit, su-  
spenso petitorio, Virum Mulieri restitui,  
ut colligitur ex casu; quo habetur, si Ma-  
ritus ejicens Uxorem contra matrimoniu-  
m agat propter impedimentum diri-  
mens, Uxorem ante & post litem contesta-  
tam per modum actionis, petendo resti-  
tutionem, suspendere posse judicium, ita  
ut prius super possessorio cognoscendum  
sit, ad Uxor's ejecteda restitutiohem; ita  
Innocent. hic num. 1. Panormit. num. 7.  
contra gloss. V. ante. Nam alioquin da-  
retur occasio, seu stimulus spoliandi, si  
spoliator agendo in petitorio, probando-  
quæ intentionem, possessorium *recupe-  
randæ* à se removere posset; confirmar-  
tur ex c. *Pastoral. 5. de causa posses-  
sionis.*

Et notandum, hanc doctrinam locum  
habere non tantum in causis matrimonia-  
libus; sed etiam in aliis, quibus agitur  
de jure incorporali, quod Conventus  
petitorio, tentare possit possessorium *re-  
cuprandæ*, ita, ut suspenso petitorio, hoc  
prius expediatur: pone in exemplo, Ca-  
pitulum agere contra Titium Clericum  
actio-

actionis negatoria in rem, ut à Judice declaretur, nullum ipsi jus capitulare competere: vel Dominum fundi simili actione agere contra vicinum, ut declaretur, agrum suum liberum esse à servitute, seu vicino jus nullum actus, seu itineris competere: in tali enim casu Reus convenitus, ante, vel post litem contestatam proponere potest actionem judicij possessoris, petendo se restitui in possessionem, quā per vim privatus sit, videlicet à Capitulo ejectus, à Domino ad fundum non admissus. Dixi de jure incorporali; nam ubi petitorio agitur de re corporali, Actor non possidet; adeoque Reus, à quo petitur possessio, non potest petere possessionis restitutionem.

1260.

Præter hæc not. quod, quamvis in hoc casu petitorum fuerit prius intentatum super consanguinitatem, nihilominus per possessorum, respiciens eandem rem, etiam per viam actionis, suspenderit ipsum petitorum, ut constat ex dict. c. 10. ibi: *quod fieri non debuit, nimirum, ut mulieri a Delegatis negaretur restitutio, non obstante petitorio prius intentato ex nullitate matrimonii propter impedimentum.* Nec obstat c. 2. de ord. cognit. ubi dicitur, quando agenti possessorio recuperandæ Reus opponit spoliationem per modum actionis, ejus petitionem, qui prius provocavit, debere prius cognosci,

& deinde alteram, simul tamen eadem sententiâ terminari; nam ibi textus loquitur de causis, quæ proponuntur tanquam *mutuae petitiones*, sese tanquam diversæ minimè contingentes; at in præsenti non sunt tales causæ *se non contingentes*; ergo.

Not. 2. quando unus Conjugum spoliatus ab altero agit possessorio recuperande, id duplice posse contingere; primo, ut in eo judicio nulla quæstio admisceatur de proprietate, seu valore matrimonii; sed tantum pura receptio Conjugis spoliati. 2. ut, ubi agitur de hac, miscetur etiam quæstio juris spiritualis v. g. de valore matrimonii, de jure vi Sacrorum Canonum divertendi, &c. & in hoc secundo casu judicium possessorum etiam recuperanda pertinet ad solum Judicem Ecclesiasticum: in primo autem etiam secularis Judex est competens, ut docet gloss. in c. Non. 11. V. Uxores, de spons. & alia-pud Sanch. l. 9. D. 4. numer. 7. ubi ait: idem esse sentiendum de compulsione ad reddendum debitum, quam secularis Judex facere potest, si de valore matrimonii quæstio nulla sit.



## QVÆSTIO XIV.

### IN TIT. XIV. DE DOLO, ET CONTUMACIA.

1262.

**T**itulus iste spectat ad interdictum, ne vis fiat ei, quem Prætor mittit in possessionem, non tam adipiscendæ, vel retinendæ, aut recuperandæ possessionis; sed potius retinendæ, vel recuperandæ custodia, quam quis consequitur, quando per Prætorem quis mittitur in possessionem ex primo decreto, vel simili causa. Est autem primum decretum (ut notat Corvinus l. 3. juris canon. tit. 22.) prima à Judice jubente, ob contumaciam absens, in possessionem bonorum ejus, custo-

dia causa, facta missio, c. constitutis i. de eo, quimitt. in poss. &c. Verba portrō edicti, quo Prætor missos in possessionem, tuerit, ut ait Gothofredus ad L. 1. ff. *Ne vis fiat ei, lit. Sunt hæc: si quis Dolō malo fecerit, quo minus quis permis̄su meo, ejusvē, chias ea iurisdictio fuit, in possessionem bonorum sit, in eum in factum iudicium, quanti ea res erit, ob quam in possessionem missus erit, dabo.*

Ex istis verbis deducitur duplex remedium, quo Prætor eis, qui resistuntur ex prime